

curso de Dios con el libro alvedrio. In quo quidem extendunt modum, quo gratia sufficiens, & efficax cum libera hominis voluntate concurrat ad actum supernaturalis eliciendum. Subscriptiones hic nullæ existant.

Cum autem nihil adeo Patribus Societatis cordi foret, quam ut, reorum persona deposita, Actorum conditionem induerent; iisdem sacris Fidei Quæstoribus libellum supplicem porrexere, quo nonnullas Dominici Bannes, Francisci Zumel, Petri de Herrera, ac Didaci Nunno propositiones, erroris, ac cum Lutheranis, & Calvinistis consonantia, incusabant. Inscriptus erat: *Sententia quorundam Theologorum, quæ videtur libertati derogare, in quantum omnes actus prædeterminari docet a Deo.*

Suas etiam Patres Prædicatores, iussu Pontificis obsecuti, lucubrations adornarunt, ad Thomisticam doctrinam explicationem, ac defensionem. Præter ea ætate Provinciæ Hispaniæ R. P. Thomas de Gufman, qui eruditior Theologos, Dominicum Bannes, Joannem de la Fuente, Didacum de Jangues, Petrum de Herrera, Petrum de Ledefma, Christophorum Rodrigues, Didacum Alvares, Matriti congregavit, eisque provinciam illam demandavit, quam seorsim, nullaque mutuo habita collatione, totidem editis libris implevere. Illos supremo Inquisitionis Hispaniæ Senatui statim obtulit Prædicatorum Præpositus Provincialis. At, ut erat nimis molis opus, iussit, qui sacro Tribunali præerat, octo libros in unum ab Auctoribus contrahi majori Lectorum, ac Judicum commodo. Paruit P. Joannes de Villafraña, P. Thomæ de Gufman in officio Prioris Provincialis proxime suffectus. Partes illas Dominicum Bannefio, Petro de Herrera, Didaco Alvarezio commisit. Quatuor mensium spatio opus consummarunt: quod, totius Hispaniæ Provincialis nomine, sacro generalis Inquisitionis Tribunali, ac Nuntio Apostolice supplex obtulit P. Didacus Alvares, Matriti die 20. Novembris 1595.

Erat oblatus libri titulus. (1) *Apologia FF. Prædicatorum, in Provincia Hispaniæ sacre Theologie Professorum, adversus quasdam novas assertiones ejusdem Doctores, Ludovici Molina nuncupati, Theologi de Societate Jesu, quas defendit in suo libro, cui titulum inscripsit: Concordia liberi arbitrii cum gratia donis &c. & adversus alios ejusdem nove doctrine sectatores, ac defensores, de eadem Societate.*

Subscriberunt non solum Auctores, sed & suffragatores ejusdem Provinciæ Theologi, in hunc modum.

- F. Joannes de la Fuente, Magister.
- F. Dominicus Bannes, Magister, & in Univers. Salm. Publ. Theol. Prof.
- F. Petrus de Herrera, Magister, & in Univers. Salm. Publ. Theol. Prof.
- F. Didacus Jangues, Magister.
- F. Petrus de Ledefma, Magister, Academiæ Salm. Prof.
- F. Christophorus Rodrigues, Præsentatus.
- F. Didacus Nunno, Præsentatus, ac Regens S. Gregorii Vallisfol.
- F. Didacus Alvares, Præsent., ac Prof. S. Gregorii Vallisfol.
- F. Petrus Ferdinandus, Magister, ac Regens principalis S. Greg. Vallisfol., & Philippo Principi Hispaniæ a Confessionibus.
- F. Michael Bonavides, Episcopus electus Segovien. Philippinarum.

F. Joannes de las Cuentas, Magister, & quondam Provincialis, ac S. P. Card. Ducis Austria a Confessionibus.

F. Thomas de Gufman, Magister, quondam Provincialis.

F. Didacus Peradus, Mag., & Regens Abiden, F. Hieronymus de Almonar, Magister, & in Compl. Academia sac. Bibl. Interpres emeritus.

F. Didacus Mardones, Magister, ac Prior Vallisfolitanus.

F. Franciscus Davila, Præsent., & quondam Regens S. Greg. Vallisfol.

F. Alphonsus de Luna, Magister, Cathedralicus Salmant.

F. Petrus Præsentatus, & Prior Moniæ.

F. Hieronymus Mendoza, Præsent., ac Prior.

F. Raphael de la Torre, Regens S. Gregorii Vallisfol.

F. Alphonsus de Avendemo, Præsentatus, ac Prædic. Generalis.

F. Didacus Aldarete, Prior S. Thomæ de Madriænes, Prædic. Generalis.

F. Felix de Plaça, Præsent., Reg. Coll. Comp.

F. Didacus Granero, Præsentatus, & Prædic. Generalis.

Addiderunt peculiarem Tractatum De intrinseca Divinæ Gratiæ efficacia; nec non libellum supplicem, quo totius Apologiæ summa paucis exponitur, pessimæque fidei Molina postulatur ob id potissimum, quod ex quingentis auctoritatibus Scriptorum circiter nonaginta, quas in doctrinæ suæ defensionem speciali quodam scripto laudaverat, due tantum sincera fide laudata sint; atque illæ quidem ex auctoribus petiæ, quos Pelagianorum hæresi laborasse, nemo nescit.

Quid de istis Jesuitarum, ac Prædicatorum lucubrationibus pronuntiari Congregatio de Auxiliis, explicatus suo loco dicemus. Interim observare sat erit, quid de istarum examine Paulo V. retulerit Gregorius Coronellus totius Congregationis nomine: (2) *Voluit Sanctissimus Pontifex, (Clemens VIII.) ut Consultores examinarent Apologiam Patrum Prædicatorum in Hispania contra decem capitales Propositiones Molina, nec non earum defensiones, productas a Patribus Societatis. Censuit autem Congregatio, doctrinam Patrum Prædicatorum esse sanam, & Catholicam; propositiones vero Molina non esse vindicari a nota erroris per rationes productas a defensoribus suis, ad quas plano responsum est.*

Interea, quo tempore Fratres Prædicatores edendæ Apologiæ incumbere, Franciscus Zumel, jam tunc Ordinis sui Præpositus Generalis, triplicem doctrinæ suæ defensionem elaboravit, ut Molina, qui eum in causam vocaverat, strophis, ac querelis satisficeret. Cum autem Dominicus Bannes iisdem cum ipso accusationibus appetitus fuisset, eas Zumelii defensiones, uti suas, haberi voluit, ac in quocumque judicio, etiam Pontificio, doctrinæ suæ fidem facere. Romam transmissæ sunt defensiones cum subiecto Bannefii chirographo, sub hac forma.

„Ego (3) Fr. Dominicus Bannes, Ordinis Prædicatorum sacre Theologiæ Salmanticiæ Professor, attente legi has defensiones doctrinæ sapientissimi Magistri, F. Francisci Zumel, Generalis Ordinis Dominici nostræ de Mercede, ac Redemptione Captivorum, quas ipse summa diligentia, pie pro communi bono meditatus, composuit, ac mira eruditione perfecit, postquam mecum dignatus est secreto communicare.

„re. Quibus omnibus perspectis, restor coram Deo, & Jesu Christo, dignas mihi videri, non solum propter Auctoris sapientissimi auctoritatem, quæ ab omnibus suspiciantur, & suscipiantur; sed etiam propter eximiam eruditionem, & sanam, ac Catholicam doctrinam, quæ in illis continetur. Quocirca quamvis facile erat, fere omnium sapientissimorum Hispaniæ Theologorum subscriptiones quærere, & obtinere, (eo quo dominum res agitur) tamen quia Doctor Ludovicus Molina me solum, expresso nomine, una cum præfato sapientissimo Magistro Zumel, carpere, de quibusdam assertionibus, quas in nostris vulgo editis libris defendimus, attentavit; ideo solus ego subscripsi, ac pro meis defensionibus præsentem Tractatum, ubi opus fuerit, & in quovis sacro Tribunali, etiam Apostolice Sedis, offero. Subscripti Salmantici 7. die Julii anni 1595.

Fr. DOMINICUS BANNES.

C A P U T XXIII.

Censurarum, a generali Hispaniæ Inquisitione Romam transmissarum, aliarumque nonnullarum, distinctior enumeratio.

Censuræ Academicarum, Episcoporum, ac Theologorum Hispaniæ, seu jubente Clemente VIII. seu rogante Inquisitore generali, datæ, Romamque transmissæ, fuerunt viginti, & una. Harum una Prædicatoribus, perinde ac Jesuitis incommodat, quos excessu peccasse contemdit illos quidem in Calvinismum, istos in Pelagianismum prolapsos. Quatuor Molinam ab hæresi quidem vindicant, sed vel novitatis, audaciz, ac temeritatis passim accusant, vel doctrinam ejus probabilem pronuntiant, sua tamen Prædicatorum doctrinæ probabilitate servata, postiorique jure asserto. Sexdecim Prædicatorum doctrinam necessariam, certoque tenendam definiunt; Moliniana vero dogmata, uti falsa, temeraria, scandalosa, erronea, ac etiam hæretica, & respectively prohibentur.

Omnes hic per ordinem damus, cum brevi cujusque sumario. Exstant quatuordecim priorum Censurarum autographa, uno, eodemque volumine collecta, signato C. J. in secretiori Archivio Bibliothecæ Angelicæ Romanæ, inter cætera documenta Congregationis de Divinis auxiliis, a Gregorio Coronello ejusdem Secretario digesta. Cæteræ in privatis Codicibus tum autographis, tum transumptis, seu Romæ, seu Abdi, prout infra notatur ad marginem: hinc videas, quo pudore, qua fronte Censuras Academicæ Salmanticensis, & Henriquez, ab Illustrissimo Rhemenis Archiepiscopo in celebri Censura laudatas, (ex fide Thomæ de Lemos, qui illarum in editis operibus meminit) uti fictitias, ac fabulosas explodant, tum larvatos libelli famosi Scriptoris, tum Societatis Theologus Rothomagensis, jam a me sepius pro suis meritis excepti. Videntur enim etiamnum probati Codices, & Lemosium absolvunt.

Censura, utriusque parti æque incommoda, ab Episcopo Segovienfi data fuit mense Octobri anni 1594. Duplici scripto continetur. Primum, quod die 25. elaboratum est, duas complectitur partes. Priori judicat de doctrina Bannefii; altera de doctrina Molina. Quoad doctrinam Bannefii, quatuor propositiones notat. Primam De Gratia præveniente ex se efficaci, nec per con-

Serry Tom. I.

sensum liberi arbitrii modificata damnat, ut error in fide proximam. Secundam De Prædeterminatione physica ad materiale peccati damnat, ut manifestum errorem in fide. Tertiam De existentia substantiæ panis remanentis in Eucharistia post consecrationem damnat ut temerariam. Quartam, nempe, Quod nullus in gratia existens mereri potest majus præmium essentiale, nisi per actum intensiorem, damnat, ut in fide periculosam. (1) In altera illius Censuræ parte, novem propositiones Molina fugillat, ut errori Semipelagianorum affines, ac parum in fide tutas.

Ut autem noveris, quam temere reposuerit novissimus Quæstorium Eventilator, Episcopus Segovienfi, privatas tantum Molinæ de viribus Liberi Arbitrii opiniones confixisse, non illas, quæ communi Societatis assensu statuantur; notam Molinæ Propositionem subijcio, ad illustri Censore representatam, atque confixam. *Nota propositio. In fine pag. 51. habentur hæc verba.*

„Fieri potest, ut duorum, qui æquali auxilio a Deo vocantur, unus pro libertate sui arbitrii convertatur, & alter in infidelitatem permaneat, imo cum minori etiam auxilio. *Probat illud ex collatione illa Besaide, & Corofai cum Tyriis, & Sidonis. Et pag. 53. in fine: Eadem est, inquit, ratio de eodem modo affectis, & vocatis: pro sola namque eorum libertate potest evenire, ut unus amplectatur fidem, alter eandem contemnat. Et in Commentariis primæ partis, quæst. 23. art. 5. disp. 10. mem. 10. in fine inquit: Quod ex duobus, qui æquali Gratia motu præveniunt, ac moventur, unus consentiat, alter vero non, solum provenit ab innata, & propria libertate utriusque; Gratia namque præveniens ex parte sua æqualiter utramque movet, namque necessitate ex parte sua agit. Ex eo autem, quod unus eorum libere adhibere vult influxum illum sui Arbitrii proprii, & alter non, unus eorum convertitur, alter non.*

„Censura: *Hæc doctrina non est in fide tuta.*

Annon quæso Gratia efficacia, ex Liberi Arbitrii assensu suspensa; & quæ ex comparatione Corofaitidarum, & Berthaitidarum cum Tyriis, & Sidonis probatio petitur, communia sunt Societatis placita, non singularia Molinæ paradoxæ?

Quid plura? confixis novem Molinæ propositionibus, aliis ejusdem quadraginta quatuor expendit Episcopus Segovienfis, quas, uti censura dignas, Bannefius detulerat. Has inter tertiam representat in hæc verba; *Tertia propositio notat Censuræ, quod pag. 3. videatur lapsus in extremam Pelagii errantem contra Lutherum, & severo Pelagianis; & arrogant pag. 489. assertum a Patribus, & Concilio non satis explicatum fuisse rationem conciliandi Liberi Arbitrii cum præsentia; & quod nec forte Pelagiana hæresis esset exorta. Molinam occasione Scientiæ-Mediæ, communi Societatis calculo probata, in hæc verba, a Bannefio fugillata, protulisse, nemo nescit. Audi tamen, quid de his pronunciet eruditus Præsul. Certe verba hujus Auctoris, invidiositate, & superbie nota signa sunt. & quæ mihi persuadent, ipsum D. Augustini doctrinam non intellexisse, neque secundi Concilii Arausiaci Canones; neque in quo consisteret error Semipelagianorum. Non enim Dicitur Augustinus, neque Concilium clarius loqui poterant: Ipse vero potius doctrinam ipsorum confundere videtur.*

Falsum igitur, Segoviensem Episcopum priori illo Scripto peculiariter datatæ Molinæ placita pro-

I 2

(1) Exstat Origin, in arce S. Angeli, transumpta vero in Bibl. Angel. & in Arch. Ord. Prædic. (2) In Congr. albata die 14. Sept. 1605. (3) Exstat Origin, in Bibl. Ang. vol. fig. D.

(1) Duas illas ultimas Propositiones Schola Thomistica non agnovit.

proferuisse; ab iis vero temperasse, quæ communi Societatis suffragio recipiuntur.

Scripto altero, die 26. elucubrato, de sola Molinæ doctrina pronuntiat. Semipelagianismi notat sequentes propositiones. 1. Possumus conari ad nostram justificationem. 2. Si facit homo, quod potest solis suis viribus naturalibus, Deus assistit illi statim cum sua Gratia. 3. A propria industria, conatue majori, vel minori Liberi Arbitrii provenit, quod plus, vel minus quis lucratur. 4. Vocatio multum pendet a nostro Libero Arbitrio. 5. Quoties Liberum Arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur tam circa ea, quæ fides habet, quam circa dolorem de peccatis ad justificationem, a Deo Gratia præveniens confertur. 6. Probabile est, quod sine Gratia, cum solis viribus nostri Liberi Arbitrii, possint vincit tentationes, quantumvis graves. 7. Naturaliter possumus habere propositum nunquam offendendi Deum.

Concludit demum, omnibus rite pensatis, doctrinam Molinæ nullatenus tolerandam; sed jubendum, ut ipse, nova curata editione libri CONCORDIÆ, sententiam mutet. Quod idem a Banneſio, circa quatuor notatas propositiones, agendum decernit. Subſcripſit.

Don ANDREAS PACHECO
Obispo de Segobia.

Censuræ, quæ Molinam speciose probabilitatis obtentu ab hæresi vindicant, suo tamen Prædicatoribus potiori jure asserto, sunt sequentes.

Censura Complutensis Academiae, data calendis Octobris 1596. Hæc universam de Christi Gratia controversiam, eo tempore agitatam, ad tria capita revocat. Primum est: An existente equali Gratia, vel auxilio in duobus, stare possit, ut unus eorum convertatur, & alter non? Secundum: An distinguantur Gratia operans, & cooperans, seu auxilium sufficiens, & efficax? & in quo differant? Tertium? Quo pacto se habeat ad nostrum liberum consensum Gratia cooperans, vel auxilium efficax? Utrum habeat de se, quod sit efficax, an vero dependet ab actu nostro Liberi Arbitrii? & utrum prædeterminet actum nostrum Liberi Arbitrii, vel e contra determinetur ab illo?

De primo capite ita pronuntiat: „Supposita distinctione Gratia habitualis, & actualis (nam quælibet istarum suo modo dividi potest in operantem, & cooperantem) de actuali solum nunc est sermo; habitualis enim non est ad propositum. Circa primum, allud est: aequali existente omni Gratia in duobus, unus eorum potest converti, alter non; aliter vero: aequali existente Gratia præveniente in duobus, unus eorum potest converti, & alter non. Multum enim differunt inter has duas propositiones. Et de prima non potest esse controversia inter Catholicos, sed illa est erronea, vel saltem erronei proxima; quia necesse est, in eo, qui convertitur, aut vivificatur, præter vocationis Gratiam, esse etiam Gratiam coadjutantem, quæ non est in eo, qui non convertitur. Alias ille, qui convertitur, & justificatur, discernet, se ipsum per actum Liberi Arbitrii ab eo, qui non convertitur, vel justificatur, contra illud Pauli i. ad Cor. cap. 4. Quis te discernit?

Deinde variis expositis dicendi modis, quibus a variis Theologis vel asseritur, vel negatur, aequali existente Gratia præveniente, unum converti, non alterum, has omnes sub probabilitate relinquit.

Quoad alterum caput, varias PP. Societatis, ac Prædicatorum sententias refert, quarum nullam censuram dignam existimat. Id tamen observatione dignissimum, quod priorem sententiam quibusdam duntaxat et Societate Recentioribus tribuit: „Ex Religiosis, inquit, Societatis Jesu quidam Recentiores asserunt, quod eadem Gratia, quæ est præveniens, & excitans, fiat adjuvans, cooperans, & efficax, propter novum influxum supernaturalem ejusdem Gratia, ad nostrum consensum, simul cum libero arbitrio. Prædicatorum vero doctrinam inter Doctores communiore judicat. „Alii, inquit, multi ex Dominicis & magis communiter Doctores asserunt, ad hoc ut Gratia excitans fiat efficax, necessarium esse novum, & distinctum auxilium Dei speciale, quod proprie dicitur efficax, five illud se habeat per modum principii activi simul cum voluntate creata ad nostrum consensum, ut quidam asserunt; si ve, ut alii volunt, per hoc, quod illud auxilium sit ipsamet motio actualis nostræ voluntatis, quatenus a Deo, supernaturaliter operante, dependet.

Similiter quoad tertium caput, utramque Jesuitarum, ac Prædicatorum doctrinam probabiliter pronuntiat. Nihilominus, exposita Recentiorum (ut vocat) e Societate sententia, quæ efficaciam gratia ex liberi arbitrii consensu suspendunt, ita concludit: „Hic modus dicendi produbilis est, dummodo auctores istius sententia non asserant, taliter dependere efficaciam divini auxilii ex nostro consensu, ut solum ex majori conatu nostri Liberi Arbitrii, secundum naturales vires, possit esse actus magis meritorius, vel dispositio ad majorem gratiam; Nam talis positio quantum ad hoc singularis est, & occasio errandi. (1.) Quibus verbis Molinæ jugulum peti, fatebitur, quisquis eum paulo attentius evolverit. Subſcripserunt Theologi in hunc modum. Doctor FRANCISCUS MARTINES. Doctor DE LA CAMATI. Doctor LUDOVICUS MONTESINO. Doctor LUDOVICUS DETENA. Doctor GONCALES. Doctor INNOCENTIUS PARDOS. Doctor ALVARUS VILLEGAS. Doctor HIERONYMUS RUIS.

Dixi paulo superius de Complutensis Academia Censuram, ut hinc intelligant universi, quo jure hujus Academiae judicium totum pro Societatis partibus stare, scripserint aliqui; (2.) quod nedum utriusque scholæ sententiam probabilem dicit, sed & iis notis Jesuitarum opiniones afficit, illique perſcriptionibus temperat, quibus eas novas, ac erroris non mediocriter suspectas insinuat. Eito igitur illis adſaveat; non ita tamen, ut putant aliqui.

Censura duorum Facultatis Seguntinæ Professorum, data est die 14. Aprilis anno 1595, sub hoc titulo: Censura y parecer de los Catedraticos de Theologia de la Universidad de Segunça. Molinam ab errore sæpius vindicat, speciose probabilitatis titulo; quem tamen falsitatis, temeritatis, & audaciæ nonnunquam accusat. Subſcripserunt.

El Doctor GAVELAN.

El Doctor FERNANDUS.

Censuram Episcopi Placentini, absque ulla temporis nota, Molinam ab errore vindicare nititur, eoque plerumque confugit, ut eam propositionem,

num, quæ in controversiam vocatur, aliquas ipsi falso suppositas ostendat. Hunc tamen imprudentiam, & immodestiam sæpius accusat; nihilque se de veritate doctrinæ ejus dicturum, interim proficitur. Subſcripſit.

PETRUS Episcopus Placentinus.

Censura Ludovici Coloma, Ordinis S. Augustini, data est 24. Februarii 1595. Hispano idiomate, Molinam ab errore Pelagianorum defendit. Subſcripſit.

F. LUIS COLOMA.

Censuræ quatuordecim, quibus Prædicatorum doctrina certo tenenda definitur: Moliniana vero, uti falsa, temeraria, scandalosa, erronea, hæretica damnatur, sunt sequentes.

Censura Salmanticensis Academiae, cæterarum totius Hispaniæ Principis, data est die 22. Junii 1595. Statuit novem propositiones Thomisticas, quas nedum Catholicas esse, & ab omnibus fidelibus recipiendas probat, sed nec aliter secundum doctrinam Patrum, & Conciliorum sentiendum esse, demonstrat. Has inter, potiores sunt istæ quatuor: „Prima: Discrimen, quod versatur inter auxilium sufficiens, & efficax, illud est, quod auxilium sufficiens præstat homini posse operari; auxilium vero efficax confert homini actualiter bene operari. Secunda: Necessario consistendum est, auxilium efficax antecedenter se habere ad opus ordine naturæ, & causalitatis. Tertia: Liberum Arbitrium nequaquam tribuit vim auxilio efficaci; sed potius auxilium efficax præstat vires Libero Arbitrio ad operandum. Quarta: Non fiat cum equali auxilio, & equali omnino Gratia, unum converti, alterum non converti. Subſcripserunt Viri Theologi, uti sequitur.

Ego Magister F. JOHANNES DE GUEBARA, Decanus.

Ego Mag. F. BARTHOLOMÆUS SANCTIUS, Magister ANDREAS DE LEON.

Ego Mag. Doctor FRANCISCUS SANCIUS, Magister DIDACUS AGUAYO.

Ego Magister DIDACUS GARCIA, Magister PETRUS ADROYO.

Censura Episcopi Corientis, data 19. Septembris 1595., Hispano idiomate adornata est. Doctrinam Molinæ falsam, novam, singularem, arrogantem, temerariam, & periculosa pronuntiat. Singulas Censuræ partes multis argumentis demonstrat. Subſcripſit.

Don GARCIA DE GALARCA

Obispo de Coria.

Censuræ Episcopi Carthaginensis nulla adscribitur dies. Deum scientia sua, voluntate, providentia, nedum non imponere necessitatem rebus, verum etiam totius libertatis fontem esse, probat. Censuram, a Patribus Prædicatoribus datam adversus Molinam, tametsi in aliquibus rigorosam, approbat. Molinæ librum, nova, singulari, audaci, ac periculosa doctrina plenum, meritoque a sacro Tribunali prohibendum, decernit; eumque de hæresi Pelagiana suspectum, & in Sanctos Patres Augustinum, Anselmum, & Thomam contumeliosum declarat. Subſcripſit.

OBISPO DE CARTAGENA.

Censura Episcopi Mindonensis Hispano idiomate data est anno 1596, die 15. Junii. Principium, cui tota Molinæ doctrina innititur, videlicet. Voluntas divina, ut absolute determinetur ad aliquem actum liberum, dependet a Nostra voluntate, temerarium judicat, ac Pelagianum; immo Lutheri

errori valde germanum, qui ex absoluta prædeterminatione extinguere liberum arbitrium, effutierat. Scientiam-Mediam, uti novam, veteribus Theologis, ac Patribus ignotam, falsam, atque adeo damnandam judicat. Theologos monendos censet, ne ad Molinæ imitationem, contempta Sanctorum doctrina, propriis figmentis æquale pacentur. Doctrinam Banneſii, & Zumelis æquo sensu excipiendam, apud Sanctos Patres receptissimam, & a Calvini, nec non Lutheri erroribus remotissimam attestatur. Subſcripſit.

G. EPISCOPUS MINDONENSIS.

Censura Petri de Castro, postmodum Episcopi Lucensis, habetur Hispanico idiomate absque ulla temporis nota. In quinque partes distribuitur. In prima damnat quatuor propositiones Molinæ De concursu generali Dei cum causis secundis. In secunda damnat tres propositiones ejusdem circa gratiam prævenientem. In tertia ostendit, Molinam absolute negare gratiam cooperantem, & auxilia efficaciam, etsi ea verbis adstruere videatur; atque in hoc Molinam damnat erroris, illumque nihil aliud moliri, ait, quam ut lectores specioso verborum furo callide decipiat. In quarta damnat Scientiam-Mediam, nedum uti rem novam, verum etiam ut noxiam. In quinta damnat multas Molinæ propositiones de Voluntate, Providentia, & Prædeterminatione: Molinæ librum damnandum concludit, curandumque, ut doctrina ejus radicitus evellatur; utpote que non minus, atque etiam magis Divinae Gratiae adversetur, quam Pelagiana.

Postremo loco doctrinam Banneſii, ac Zumelis commendat, uti antiquæ, ac communi Ecclesiæ Catholice doctrinæ consentaneam. Subſcripſit.

El Doctor PEDRO DE CASTRO.

Censura Doctoris Sierra, Burgorum Canonici, ac postmodum Episcopi Palentini, data est die 28. Augusti anno 1595. Censet omnino novam, ac temerariam Molinæ doctrinam circa concordiam liberi arbitrii cum Gratia donis. Probat, æquitatem Censuræ contra ejusdem propositiones viginti duas. Librum tandem damnandum concludit, quod vix in eo pagina occurrat, ubi liberi arbitrii vires ultra modum non amplificet, ac Divinæ Gratia detrahat. Subſcripſit.

El Doctor SIERRA.

Censura Michaelis Salon, Ordinis S. Augustini, diem adscriptam nullam habet. Hispanice scripta est; universam Molinæ doctrinam in propositiones quadraginta septem distribuit, ac distinctis censuris notat. Illas novas, erroneas, periculosas, male sonantes, temerarias pronuntiat. Subſcripſit.

F. MICHAEL SALON Ord. S. Augusti.

Censuræ duæ Henrici Henriques e Societate Jesu, de quibus jam antea diximus. (1.) Prima data est anno 1594., mandante sacrae Inquisitionis Generalis Hispaniæ Senatu. Altera data est anno 1597., mandante Clemente VIII. Pontifice Maximo. In prima minutatim observat, quidquid in Molinæ CONCORDIA animadversione dignum occurrit; tum de toto Libro in universum pronuntiat. In altera, statutis propositionibus sexdecim, totam controversiam definit: intrinsecam Divinæ Gratia efficaciam multis probat.

Censura Episcopi Sittie, & Hierapetræ in Candia, tota est contra sententiam Molinæ de Gratia efficaci ex congruitate, ac Scientiam-Mediam, (2.) Gratiam ex natura sua efficaciam, & in physica prædeterminatione sitam, per multis S. Augustini, aliorumque Patrum, ac Summorum Pontificum testimoniis nervose confirmat.

Cen-

(1.) Edit. Ulyssip. disp. 38. §. antequam & §. hinc & g. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. certe & §. postremo & mem. 11. §. postremo & §. denique. (2.) Ripalda. Orisga. Henso.

(1.) Edit. in Bibl. Ang. & in Archiv. Ord. Præd. vol. fig. R. (2.) In Bibl. Ang. vol. fig. K.

Censura Francisci de Lamata, Decani Ecclesie Cæsaraugustanæ, directa est ad Cardinalem Baroni-um, a quo sententiam rogatus fuerat, Clemente VIII., Pontifice Summo, iubente. (1) Stylo admodum eloquenti, & erudito elaborata est. In-tribus Divinæ Gratiæ efficaciam tanta erudi-tione, quanta perspicuitate, defendit. Subscripsit. FRANCISCUS DE LAMATA.

Censura Francisci Zumel, Migistri Generalis Ord. Beatæ Mariæ de Mercede, data est Mense Julio 1595. (2) Ex Divinis Scripturis, Conci-liis, Patribus, ac Summorum Pontificum defini-tionibus, Catholicam veritatem adversus Molina-novitates defendit: humani arbitrii libertatem cum gratia per se efficaci, ac prædeterminante, propa-gnat.

Censura Sylvæ Loffi, Clerici Regularis S. Pauli decollati, propositiones viginti septem, uti totidem Catholicas assertiones, omni argumen-to genere probat; ac Molinam contra totidem fidei capita peccasse, colligit, & demonstrat. (3)

Censura Joannis de Rada, Procuratoris Gene-ralis Ord. S. Francisci, data Clementi VIII., an-tequam ab ipso inter Congregationum Censores adscriberetur, Gratiæ phyce prædeterminantis ne-cessitatem probat, eamque cum libero hominis ar-bitrio mire conciliat. (4)

Censura Leonardi Coquei, Doctoris Theologi Parisiensis, Ordinis S. Augustini, posterius data est. Inferibitur, Pro veritate contra Scientiam-Mediam. (5) Hinc quid contineat, satis intelliges.

Censura Joannis Carthagena, Ord. FF. Mino-rum, ad R. P. Thomam de Lemos directa, quem acerrimum fidei propugnatorem, & Pelagianæ ha-releos acerbissimum flagellum appellat, tota est, ut ostendat, omnes actus liberos humanæ volun-tatis prædeterminari, ac prædeterminari a Deo efficaci, & absoluta voluntate. (6) Quæ in re miram Ange-licæ, & Scoticæ Scholæ consonantiam ostendit.

Premissas Censuras (nonnullis, quæ postea tan-tum late sunt, duntaxat exceptis) nec non par-tis utriusque Apologeticæ lucubrationes (de quibus superiori capite diximus) Romam transmissit Petrus Portocarrerus, Conchenis Episcopus; ac supremum Hispaniarum Inquisitor, idibus Octobris, Anno 1596, una cum subiecta ad Summum Ponti-ficem Clementem VIII. Epistola. Tanta est Hi-storia nostra Correctoris in congerendis erratis imprudentia, eam scriptorum congeriem non ab ipso fidei Quæstione, sed a Legato Pontificio trans-missam, effluentem!

BEATISSIME PATER. (7)

Quod de controversiis inter Ordinis Prædica-torum Fratres, & Societatis Jesu Regulares Cle-ricos, de divino auxilio sufficienti, & efficaci, superiori anno ad nos Sanctitas Vestra scripsit, ut utrique parti silentium imponeremus, id iam & Prædecessores nostri, Gaspar Cardinalis To-letanus, & Hieronymus Abulensis fecerant. Quod vero ad eorum sensus de tota questione perspicendos, causasque, ac rationes cognoscendas, atque colligendas, simulque aliorum doctrina præ-fiantium, minimeque suspectorum sententias ex-quirendas attinebat; id (quoniam brevius con-fici non potuit) nunc & utriusque partis; & Universitatum, virorumque, Theologica Facul-tate magis insignium, scriptis, cujusmodi ad nos delata sunt, ad Sanctitatem Vestram tran-smittendis, præstamus. Illud tamen a nobis tri-

que, ut Beatitudinali Vestre proponeremus, eni-xe contenderunt; Paratos quidem se, ut Ec-clesie filios decet, Apostolicæ Sedis definitionem quamvis expectare, eique se plane totos addi-cere; posse etiam ab hac questione ex professo disputanda abstinere; posse denique assensionem omnem suspendere, ac cohibere: si vero ea de-cisio (quod maxime veretur) multo tempore differatur, quomodo se interea, vel sine gravi suo periculo, vel absque Theologiarum dispu-tationum maximo detrimento, gerant, non pos-se profus conspiciere: esse enim questiones plu-rimas, easque gravissimas, non solum cum de Dei Gratia, aut Arbitrii libertate, vel de Ju-stificatione, sed etiam cum de Providentia, de Prædestinatione, de Scientia Dei, aliisque in-numeris rebus disceptatur, in quibus ad hæcere ipsos, aut nusquam progredi necesse sit; ut quominus hanc ipsam questionem attingant, atque alterutra dicendi ratione nitantur, aut niti cer-te videantur, vitare, atque effugerent, sine mu-tua inter se, aut aliorum etiam offensione, neu-tiquam possint. In his quomodo versari in præ-lectionibus, & disputationibus sine sua, audi-torumque fraude queant, rationem sibi præscri-bi, sineque, intra quos se continentur, a San-ctitate Vestra præfigi, id se quam humillime precari. Atque hoc se suo quique nomine, ne-que tamen ipsam ipsorum tantum, sed univer-sorum omnino Theologorum, qui Scholasticam tractant disciplinam, causa postulare. Hoc quan-ti esse debeat, Sanctitas Vestra pro celesti sua sapientia optime judicabit, deque eo pro pa-terna charitate, pastoralique officio, pro ut ma-gis expediat, gregi suo providebit. Nos vero Deum Optimum Maximum assidue orabimus, ut Sanctitatem Vestram Ecclesie suæ diutissi-me servet incolumem. Matriti idibus Octobris 1596.

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimus servus

P. EPISCOPUS CONCHENSIS.

CAPUT XXIII.

Nonnulla recentioris Quæstionum Auctoris, adver-sus Censuras superiori Capite, recentissimas cavilla-tiones repelluntur.

Retus superiori Capite recentioris Disputa-toris cavillationibus, quæ Episcopi Segovien-sis, & Complutensis Academiæ Censuras vel-licare nitebatur; ex nobis duntaxat repellendæ veniunt, quibus Academiæ Salmanticensis, Hen-riquei Jesuitæ, Francisci Lamatæ, Francisci Zumelii, Sylvæ Loffi, Joannis de Rada, Leo-nardi Coquei, & Episcopi Sittigensis Censuras emeryæ sibi visus est. Ita fiet, ut nullam Moliniani Auctoris molitionem intactam prætermitta-mus.

Judicium igitur Salmanticense deprædicat dupli-ci capite. (8) 1. Quod ea ætate temporum, cer-ta nescio qua lice, Academia cum Societate con-tereret. 2. Quod duo ejusdem Doctores celebra-ri, Bannæus & Zumelius Molinæ nomen ad sacros Quæstiones detulissent, eumque judicio per-sequerentur. Verum, si stare exceptio, iis nixa momentis, qui, quæso, supremus Fidei Quæstor, nulla

nulla intentata litis, duorumque Doctorem delatio-nis ratione habita, celeberrimæ Academiæ judicium non recepit modo, sed imperavit? Itane juris for-mulas ignorasse putandus erit? Aut ergo nulla cum Jesuitæ lite committeretur Academia; aut certe non ejus generis erat, quæ sacro Theologorum Ordini de Societatis doctrina censendi jus adime-ret. Quod autem binos delatores attinet: præter-quamquod nusquam eam personam Zumelius, sed unus Bannæus induit; id aliunde exploratum est, neutrum judicio confedisse, neutrum habitis com-itiis adfuisse, neutrum adornatæ Censuræ sub-scripsisse. Ut quid ergo sua deciderit auctoritate Ju-dicium Salmanticense, quod unus, aut alter cele-berrimæ Academiæ Theologus Molinam in jus vocasset, ejusque coram supremo tuendæ Fidei Se-natu damnationem urgeret? Sed miranda Moliniani Disputatoris Ars! Salmanticense Judicium, si penes illum fides est, minoris faciendum, quod Bannæus, & Zumelius, Salmanticensis Academiæ Professores, in Molinam actores steterint, tamen nulli illi in ferendo judicio partes haberint:

(1) contra vero, Germanicarum Societatis Aca-demiæ Salmanticæ, quæ Prædicatorum doctrina inusta est, tanquam fusa de Tripode Oracula ex-cipiendæ veniunt, quamquam judicio Jesuitæ præ-essent, torumque pene Censuram confesum con-solent soli. Bini illic in Molinam actores, ac ne-bini quidem Censuram in eum latam inficiunt, quam nec edunt, nec subscribit quidem: hic qua-dringenta Jesuitæ, Theologici confessus Præfides, ac senatores, Censuram expedites, ac subscri-bentes, nihil quicquam de lati Judicii auctorita-te, ac robore detrahunt. Tanta scilicet inest Moliniano Disputatori in alienis deprimentis auda-cia, in suis attollendis philautia!

Attamen quamquam sit ita, calculum momento reducit fervidus Actor; pudetque, quoquo pacto florentissimæ Academiæ judicium plus nimio de-pressisse. Latam Censuram agnoscit tandem, at-que amplectitur: At eo Judicio Molinæ sui do-ctrinam minime peti, fidenter pronunciat; nul-luxque illius caput esse dicitur, cui non luben-ter Jesuitæ omnes assentiantur. Hæc nos Lectorum oculis subjicimus, quo quique rei periculum faciat.

1. Necessario concedenda est diviso Gratiæ in gra-tiam excitantem, & adjutantem; sive auxilii in auxilium sufficiens, & efficax.

2. Discrimen, quod versatur inter auxilium suffi-ciens, & efficax, illud est, quod auxilium sufficiens præstat homini posse operari; auxilium vero efficax confert actualiter bene operari.

3. Necessario confitendum est, auxilium efficax an-tecedenter se habere ad opus ordine nature, & cau-salitati.

4. Sicut ad actus naturales necessario requiritur concursus Dei naturalis; ita ad actus supernaturales necessario requiritur concursus supernaturalis.

5. Liberum Arbitrium nequaquam tribuit vim au-xilio efficaci; sed potius auxilium efficax præstat vi-res Libero Arbitrio ad operandum.

6. Dicendum est, ad effectum supernaturalem con-currere Deum, & liberum arbitrium simul: Deum quidem principaliter; liberum vero arbitrium, ut ele-vatum, & adjutum a Deo.

7. Non stat, cum equali auxilio, & equali omni-no gratia, unum converti, & alium non converti.

8. Non requiritur major gratia excitans in eo, qui convertitur, quam in eo, qui non convertitur.

9. Existente auxilio efficaci, libere concurrunt ad actus supernaturales.

Itane vero qui gratiam, ut a Deo est, indiffe-rentem comminiscuntur, eamque nonnisi ex liberi arbitrii assensu efficaciam sortiri putant, libenter agnoscant, gratiam, ut efficacem, humane volun-tatis assensum ordine nature, & causalitatis ante-vertere? Itane qui efficaciam gratiæ ex innata li-bertate pendere, jam tunc libellis, ac Theibus propugnabant, (2) sincere profiteantur, Liberum Ar-bitrium nequaquam tribuere vim auxilio efficaci, sed potius auxilium efficax præstare vires Libero Arbitrio ad operandum? Id si dicat, ne Salmanticensis Aca-demiæ judicio cecidisse videantur, verbis abutun-tur, ipso etiam Bellarmino Jesuita Judge, Lib. 1. De Gratia, & Libero Arbitrio, Cap. 12. Ef-fet aburi vocabulis, vocare Gratiam efficacem, eam-que a sufficiente distinguere, si nulla omnino in ipsa Gratia distinctio esset, & totum discrimen ab huma-na voluntate penderet. Sed & Molina, quandoquidem ejus occasione mota lis est, verene Capitibus 3. 4. 5. 7. Decreti Salmanticensis subripisset? Di-cant, qui brevem hanc collationem serio perpen-derint.

Caput 3. Decreti Salmanticensis. Necessario con-sistendum est, auxilium efficax antecedenter se habere ad opus ordine nature, & causalitatis.

Molinæ Propositiones, huic Capiti repugnantes: (3) Concursus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa prius, eo mota, agat, & producat suum effectum, sed immediate cum cau-sa in illius actionem.

Sicut (4) concursus Dei generalis cum causa agen-te per actionem transeuntem, ut cum igne producente calorem in aquam, non est influxus Dei in ignem, sed in aquam, in quam recipitur effectus, a Deo, & ab igne simul productus; ita concursus generalis Dei cum causa operante per actionem immanentem, ut cum intellectu ad intellectionem, & voluntate ad appetitionem, non est influxus Dei in causam ex ra-tione, qua agens est, quasi eo prius mota, & exci-tata agat; sed cum causa ea ratione, qua agens est, in ipsammet ea ratione, qua patiens est, atque in se suscipit effectum, ab eadem causa, atque a Deo parti-ciali influxu utriusque simul productum. Quod idem habet disp. 10. §. Cum ex dictis, & §. postsumus.

Subjungit ille quidem, Gratiam mere excitan-tem prævenire, ac præparare Liberum Arbitrium: Verum subjungit e vestigio, Gratiam hujuscemodi prævenientem efficacem non esse; quin imo, de humanæ voluntatis Arbitrio actum iri, si Gra-tia, bonorum actuum operatrix, humanæ volun-tatis assensum præveniret. Concursus Dei particula-ris, inquit, ad opera supernaturalia Liberi Ar-bitrii, hoc est, Gratia Liberum Arbitrium præveniens, non est causa efficax hujusmodi operum: quin potius in potestate Liberi Arbitrii, eadem Gratia adju-ti, est consentire, aut non consentire, aut etiam dissen-tire Deo ita invitanti, & excitanti; id, quod de fide est, ut ex Concilio Tridentino Sess. 6. Cap. 4. sæpe in Concordia ostendimus. (5) Ergo neque con-cursus particularis (per errorem Typographi legi-tur, generalis, contra Auctoris institutum,) est causa efficax operum Liberi Arbitrii; sed a Libero Arbitrio pendet, tum ut sint, tum etiam ut, non obstante influxu actuali Dei, sint potius hujus spe-ciei, quam illius, atque hujus objecti potius, quam alterius. Rejicienda est ergo horum Doctorem senten-tia, que ita Libertatem Arbitrii nostri, tenui meo judicio, tollit, ut non periculosam in fide solam, sed etiam errorem non vererem eam appellare, nisi consultius ducerem, definitionem Ecclesie hac in re prius expectare. Paria habet in Concordia, disp. 27.

(1) Exstat cum aliis in Archiv. Ord. Præd. vol. sig. R. (2) Exstat Orig. in Bibl. Ang. vol. sig. D. (3) Exstat Orig. in Bibl. Card. Ricci. (4) Exstat in Archiv. Ord. Præd. vol. sig. R. (5) Exstat in Bibl. Ang. vol. sig. N. (6) Exstat in Archiv. Ord. Præd. vol. sig. T. (7) Exstat Origin. in Bibl. Angel. vol. sig. P. F. (8) Quæst. 1. Cap. 5.

(1) Lege Lib. 4. Cap. 18. (2) Lege supra Cap. 20. (3) In Conc. Edit. Ant. qu. 14. art. 13. dis. 26. §. dicendum. (4) Ibid. disp. 29. & 30. & 1. p. qu. ead. m. disp. 9. (5) Confundit potentiam antecedentem cum consequenti. Stat prior sub in petio Gratiæ; non posterior.

27. quæ post Editionem Ulyssipponensem addita fuit, §. In primis, §. Adde, §. Attendere. Certe tam procul abfuit Ludovicus Molina ab agnoscenda in Auxilio efficaci prioritate nature, & causalitatis, ut hoc potius decretum statuerit: Deus opera nostra bona moralia, que a cooperatione libera nostri Arbitrii, & non a solo concursu Dei generali pendet, ut existant, vult in primis voluntate conditionata, si & nos pro nostra Libertate ea velimus prævidens ergo, que eorum pro nostra Libertate sint futura, complacet in illis, vultque absoluta voluntate, ut sint. In Conc. Edit. Antverp. quæst. 14. art. 13. disp. 33. §. Novem. In Edit. Ulyssip. disp. 32.

Caput 4. Decreti Salmanticensis. Sicut ad actus naturales necessario requiritur concursus Dei naturalis; ita ad actus supernaturales necessario requiritur concursus supernaturalis.

Molinæ Propositiones huic Capiti repugnantes.

(1) Influxus, sive concursus, quo Deus concurret cum Libero Arbitrio ad actus supernaturales credendi, sperandi, & penitendi, ut ad salutem oportet, quantum ex se est, non est alterius rationis ab eo, quo Deus concurret ad effectus mere naturales.

Cum solo concursu Dei generali potest Liberum Arbitrium, post acquisitos habitus fidei, & charitatis, unum, atque alterum actuum fidei, & charitatis elicere; qui a concursu habituum supernaturalium habebunt, ut sint supernaturales.

Actus credendi, sperandi, & penitendi, ut oportet ad justificationem, non habent ab influxu, & concursu generali Dei, ut sint magis assensus credendi, vel dolor de peccatis, quam actus oppositi.

Non est constituendus habitus Fidei supernaturalis, ut actus assentiendi rebus Fidei sit certus, & firmus, certitudine, & firmitate ex parte credentis.

Eodem numero concursu Dei generali, & particulari Libero Arbitrii, quo producitur idem numero actus in genere nature, potest indifferentem produci actus virtutis moraliter bonus, & vitii, seu peccati. A proinde interdum nec major, nec alius Dei concursus requiritur, ut producatur actus virtutis, & ut producatur actus peccati. Sicubi unquam, hic certe manifestè obfessionem vincit.

Caput 5. Decreti Salmanticensis. Liberum Arbitrium nequaquam tribuit vim Gratiæ efficaci; sed potius auxilium efficace præstat vires Libero Arbitrio ad operandum.

Molinæ Propositiones, huic Capiti repugnantes.

(2) Nullum datur auxilium Gratiæ efficace, quod ex modo motionis Divinæ, atque ex Deo ipso habeat efficaciam. Nec hoc, salva fide, sustineri potest.

Divino sufficientis auxilii in efficaci, & inefficax, sumitur ab effectu, qui simul ad arbitrii libertate pendet. Illudque auxilium sufficiens, sive majus sive minus in se sit, efficace dicitur, cum quo Arbitrium pro eadem sua libertate convertitur. Illud vero inefficax dicitur, cum quo Arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cum tamen potuerit converti.

Auxilii preventivis, atque adjuvantis Gratiæ, que lege ordinariæ viatoribus conferuntur, quod efficaciam, aut inefficaciam ad justificationem sint, & ad conversionem, pendet a libero consensu, & cooperatione Arbitrii nostri cum illis: atque adeo in libera nostra potestate est, vel illa efficaciam reddere, vel inefficaciam.

Eodem collimant Molinæ loca, in tertium Decreti Caput pugnantia. Si enim Gratiæ efficace

(1) In conc. qu. 14. art. 13. disp. 37. Ed. Ulyf. & disp. 30. Ed. Ant. §. Si quis dicat. Ibid. §. Quod si quis. Disp. 36. Edit. Ulyf. que est 37. in Ant. §. Cum autem. Disp. 8. §. Ex actis. Disp. 32. Ed. Ulyf. & disp. 40. Ed. Ant. §. Antequam. (2) In Conc. qu. 23. art. 4. disp. 1. m. 6. Quæst. 14. art. 13. disp. 38. Ed. Ulyf. & disp. 40. Ed. Ant. §. Antequam. §. Hinc quæto loco. (3) In Conc. Ed. Ulyf. qu. 14. art. 13. disp. 37. In Edit. Ant. disp. 39. §. Illud præterea. (4) In Conc. qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. m. 9. in Edit. Ulyf. §. Postremo. (5) Quæst. 14. art. 13. disp. 12. in princ. (6) Pag. 50.

influxus non est in liberum arbitrium, sed concursus duntaxat cum libero arbitrio in effectum, qui, quæso, præstabit vires libero arbitrio, ut agat?

Caput 7. Decreti Salmanticensis. Non stat, cum equali auxilio, & eadem omnino Gratiâ unum converti, & alium non converti.

Molinæ Propositiones, huic Capiti repugnantes.

(3) Ab equali conatu, & influxu Libero Arbitrii, pro sua Libertate procedere potest, ut, conferens Deo duobus hominibus equalè auxilium gratiæ adjuvantis, unus eorum intensius operatur, meliusque se disponat ad gratiam justificantem, quam alius: & ut, conferente eisdem inæqualia auxilia, æque operentur, aut is interdum plus, qui minori suffulcus est auxilio.

Cum auxilio (4) ex parte Dei, cum quo unus justificatur, & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur, nec salvatur. Nec dubitandum est multos torqueri apud inferos, qui multo majoribus auxiliis ad salutem a Deo donati fuerunt, quam multi in celo, qui divino fruuntur aspectu. Quod hi cum majoribus auxiliis Prædestinati, & salvi non fuerint, non aliunde venit, nisi quia illi pro innata libertate noluerint ita uti suo Arbitrio, ut salutem consequerentur æternam; hi vero maxime.

Eteri potest, (5) ut duorum, qui equali auxilio utitur a Deo vocatur, unus pro libertate sui Arbitrii convertatur, & alter in infidelitate permaneat. Sæpe etiam accidit, ut cum quo auxilio unus non convertitur, alius convertatur. Ino fieri potest, ut aliquis prevenitur, & vocatus longe maiori auxilio, pro sua libertate non convertatur; & alius cum longe minori convertatur.

Sed quid hæc moror? Cum juxta Molinæ principia Gratiæ efficace, non ipsa sui essentia, sed solo voluntatis assensu, a sufficiente fecerunt; eademque, suapte natura versatilis, humani Arbitrii nutu in partem alteram flecti solet; atque consequens est, eadem omnino moveri gratia, qui Dei mandatis obtemperat, & qui æternis suppliciiis deputatur; nihilque in uno præ altero reperiri, nisi bonum innati Arbitrii usum, quo gratiam, se ipsa indifferentem, atque versatilem, flexit in partem meliorem?

Plura addere facile fuerit, ut Molinæ doctrinam Salmanticensis Academiæ Decreto confirmam, ostenderem. Pauca hæc abunde sufficiunt, ut intelligant universi, quam temere scripserit novissimus Disputator: (6) Neminem fore puto, qui Molinam lectitavit, ejusque systema probe novit, qui dicat, Censuram Salmanticensem, (si ex novem ejus Capitibus judicium statuat) eidem aliquantulum adversari.

Mitto frædam, ac studiosam septimi capitis depravationem, ab eodem Disputatore attentatam, ut clarissimos Theologiæ Magistros minus explicata fidei reos ageret. Qui cum conceptissimis verbis dicant: Non stat, cum equali auxilio, & equali omnino Gratiâ, unum converti, & alium non converti; hos ille ita loquentes inducit: Non constat, cum equali auxilio &c. quasi, quam ii impossibilem hypotesin pronunciarunt, probabilem censuissent. Ad cæteras tricas accedo, quibus aliorum Theologorum Censuras vellicandas aggreditur.

His ipsam quoque Censuræ nomen derogat verbosus Cavillator: sequi, perspicue demonstraturum confidit, novem illa, a nobis subiecta, Theologorum judicia, nil nisi privatas Epistolæ esse, Do-

Doctorumve, in consultationem minime vocatorum, opinaciones, atque sententias: Des Lettres particulieres, & des avis de Docteurs non consultés. Agedum, Censuram Censuræ subtilissime, & tuas illas, ut jactas, perspicuas, atque clarissimas probationes ordine proferas.

Horum, inquit, scriptorum priora duo Henriquesti sunt, Jesuitæ quidem eruditi. Ea ille contra priorem sententiam edidit, dum maximis angoribus excrucietur; ac de dimittenda Societate, amplectendoque Prædicatorum Instituto deliberaret.

Egregie sane ille incipit, ut Henriquestem, in consultationem minime vocatum, familiaribus duntaxat Epistolis privatam sententiam dixisse, invictè probet! Atqui nos de contentitibus illis Henriquesti angoribus, deque dimittendæ Societatis consilio satis diximus Capite 17. Virumque eruditum, jubente sacro Hispaniarum Qualitore, priorem Censuram adornasse anno 1594, tum alteram, jubente Pontifice Maximo, anno 1597. expedivisse, demonstrevimus: ut nemo verius, nemo certius Theologi, in Consultationem adhibiti, partes impleverit Henriquestio Jesuita.

Tertium Scriptum, prosequitur Disputator, a quodam Insule Cretensis Episcopo elaboratum est: cui sane a supremo Fidei Quæstione Hispaniensi, Molinianæ Concordiæ examinandæ provincia demandata non erat. Ita quidem. Ad ideone probatum manet, hæc ei ab alio nemine curam esse impostam? Num forte penes unum Hispaniarum Qualitorem sciscitandæ Episcoporum, Theologorumque sententiæ auctoritas erat, ex quo præsertim tempore Molinæ causa Romæ pendebat? Immo cum nihil in medium proferat servidus Actor, quo Episcopum Sittiensem, nullo Præpositorum excepto mandato, sententiam dixisse, nobis ostendat; ex juris præjudiciis colligendum, id eum in mandatis habuisse: Quandoquidem cadente sæculo decimo sexto Romæ quædebant: ac vix unquam contingit, injussum Episcopum ad ejusmodi lucubraciones edendas animum appellere; minusque verosimile est, Coronellum, adnotatam ab eo Censuram inter cætera Congregationis Instrumenta repositurum fuisse, nisi Superiorum jussu editam agnovisset.

Quarum Scriptum, pergit Molinianus Orator, Epistola quedam est Decani Ecclesiæ Casaraugustanæ, Cardinali Baronio amico suo inscripta. Ita belle lepidus conjector invisam Lucubrationem Epistolam dicitur, quod eam nos ad Cardinalem Baronium directam monerimus: quasi non nisi Epistolæ ad viros Principes dirigi queant. Si quæ tamen unquam veri nominis Censura fuit, a viro, sententiam rogato, elaborata; eo profecto numero censenda venit, quæ a Francisco Lamatæo, Ecclesiæ Casaraugustanæ Decano, ad Cardinalem Baronium transmissa est. Nec enim injussum de controversis Quæstionibus judicium tulit, sed Purpurati Principis mandato obsecutus. Seu ergo, Pontificis nomine, Lamatæi sententiam rogavit Baronius, (quod opinari prosum est) seu etiam suapte sponte, quod ipsam auxiliorum Controversia non mediocriter tangeret; Lamatæum Theologum, ad consultationem adhibitum, nemo negaverit. Do perposita, & eruditæ Censuræ prolium, quo res in aperto ponitur.

Nuper a me quæstivisti, Cardinalis amplissime, quid de Gratiæ Dei preventivis efficacitate (quæ res nunc tanopere controversatur) Aurelius senserit Augustinus; seu potius, quam ego ex ipsius scriptis inferrem de hac disputatione sententiam. Fecit id quidem humanitas tua, cum insigni quadam animi modestia conjuncta, ut ex a me velle audire significares, quorum ipse apprime conficius esses. Si quid Serry Tom. I.

(1) Luc. 14. (2) Rom. 8.

igitur enunciavero, immodestia; si omnino tacerem, inobediencia reprehendar. Sed dum hæret animus, obedire decrevi, ut obedientia excuset, quidquid accuset immodestia. Accipe ergo animi obsequiosissimi expressam significationem; & quæcumque scripsero ita æqui, bonique consule, ut omnia orthodoxæ sententiæ S. Matris Ecclesiæ judicio submissa esse, plane intelligas. Quo quidem jactò firmissimo fundamento, opus aggrediar.

Ut immobilis sit Divinæ Prædestinationis, & Gratiæ veritas, non præscientia meritorum nostrorum succiendæ est, sed præscientia factorum Dei futurorum, quorum ipse præcius electos suos ea vocatione vocavit, qua id, quod Prædestinavit, implevit. Quæ quidem vocatione non est ea, qua vocati sunt, qui ad nuptias venire noluerunt; (1) sed præcipue, & efficacissime eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Quos præcivit, & Prædestinavit, conformes fieri imagini filii sui. (2) Hæc est antecedens voluntatem nostram efficax Gratiæ Dei, quam negare Pelagianis ausi sunt, Liberum Arbitrium extollentes, seu potius in Dei omnipotentiam insolentes, quam, parcendo maxime, & miserando, manifestat, &c.

Hæc ad promissidem fati, ut ex ungue leonem discas, & Baronium dignum noris, qui Lamatæum consuleret; dignum Lamatæum, qui a Baronio consuleretur.

Quintum Scriptum, inquit Censuram Censuræ, Francisci Zumelii partus est, qui Bannesio, ad inferendam Molinæ litem, se conjunxerat. Cujus etiam scripta, perinde atque Bannesii, ad supremæ Inquisitionis Tribunal a Molina delata fuerunt. Fallum plane, Zumelium, Salmanticensis Academiæ Professorem, & sacri de Redemptione Captivorum Instituti Præpositum Generalem, Bannesio, ad inferendam Molinæ litem, se conjunxerat. Figmentum illud est, ex Cavillatoris cerebro profectum, ejus probatio nulla, argumentum nullum producit. Quare ex accusatoris conditione, quam re ipsa nusquam Zumelium induit, ferendi iudicii jure non excidit. Equidem scripta ejus, perinde atque Bannesii, ad Matritensem Inquisitionem detulerant Moliniani: unde ferende in Molinæ causa sententiæ jure devolutus quoque patet videri posset. Verum cum eam in Bannesium actionem, quæ Zumelium doctrinæ communionem conjunctum involverant, artificiose, & recriminandi animo tentatam a suis, facti sint Societatis ipsius Professores; ut nimirum, injecta parti adversæ Calvinismi accusatione, Pelagianismi notam effugerent: qui, quæso, frivola actionis obtentu, censendi jure devolutum Zumelium effutimus? Bannes, & perique ejus discipuli in publicis disputationibus, privatique sermonibus ceperunt notare illam sententiam, ut Pelagianam: Nostri e contra, ut notam Pelagianismi evitarent, obiciebant oppositæ notam Calvinismi. Ripaldæ verba sunt, Tomo 2. Disp. 113. Sect. 9. N. 53.

Sextum Scriptum privati cujusdam Theologi Opusculum est, in quadam Urbis Bibliotheca inventum. Sic ille de Sylverii Losij, Clerici Regularis, Censura, in Cardinalis Riccii Museo inventa, frigide loquitur. Verum hunc, a nemine sententiam rogatum, scriptorem elucubrassè, (quod se perspicue probaturum, sponderat Censuram Censuræ) nequaquam ostendit. Quid-ni ergo ita factum, juris præsumptione, colligamus? Quandoquidem vix quemquam inventi contingit, qui Superiorum injussu, hoc scriptiōnis genus attenter, sibi que licitum faciat.

Septimum Scriptum, subjungit, a Joanne de Rada editum est, in Consultationum numerum postmodum.

dum cooptato: unde tamen ex præscripto juris secludi debuit; quippe qui de agitata controversia præjudicaverat.

Nihil hic etiam ad carmen, nempe ut Joannem de Rada injustum (quod illi probandum incumbit) censuram adornasse, nobis ostendat. Atqui sic est. In Curia Romana degens Joannes de Rada, Franciscanorum, qui a focis nomen habent, Procurator generalis, sententiam de natis nuper Controversiis scripto delegare jussus est ab ipso Pontifice Maximo, cui singularis ejus eruditio perfecta erat. Idcirco hunc suæ lucubrationi præmisit titulum, ac censendi initium fecit. *Ad SS. Dominum nostrum Clementem VIII. Divina Providentia Catholice Ecclesie Pontificem Max. Censura sententiarum, que hoc tempore de efficacia Auxiliorum Divine Gratie circumferuntur, per F. Joannem de Rada, Ordinis Sancti Francisci Regularis Observantie in Romana Curia Procuratorem generalem. Controversia, que in ore fere omnium hoc tempore circumfertur, que a viris doctis sepissime agitur, ea est, Beatissime Pater, que de efficacia Auxiliorum Divine Gratie inscribitur, &c.*

At inquit morosus cavillator: e Consultorum numero secludendus erat Joannes de Rada ex præscripto legum, quod de agitata Controversia præjudicasset. Jam itaque violati juris accessit Pontifex, qui Theologum illum in Consultorum numerum cooptavit; non quod præsentis instruiti est demoustravit. Neque enim id agitur in præsentia, quid contra jura peccaverit Pontifex; sed quid ejus jussu scripserit Censor. Interea, dum illatas Clementi VIII. injurias repellam loco suo; a moroso cavillatore scire velim: si Joannem de Rada Consultoris officio defungi, jura verant, quod is elaborata pridem Censura præjudicasset; quam, amabo, jura finunt, ut Judicis personam ageret Bellarminus, tamen jam ab anno 1597. elaborata ad Libellum Memorialem Prædicatorum Responsione, (1) alitque adornatis scriptoribus bene multis, in gratiam Molina præjudicasset; immo Molinianæ causæ Procurator, & Actor ab ipso Reo constitutus esset?

Oratorum Scriptum, inquit ille, *Tractatus quidam est adversus Scientiam-Mediam, a Religioso Augustiniano, Doctore Parisiensi, elaboratus.* Hac scilicet luculentissima probatione, Leonardi Coqueti Censuram, a Theologo, in Consultationem minime vocato, elaboratam evincit egregius disputator: quasi in Consultationem vocari non possit Theologus Parisiensis. Coquam non nisi sententiam dicere jussum ab iis, penes quos imperium erat, Censuram expeditivisse, inde facile colligas, (2) quod Academia Parisiensis, iteratis Jesuitarum supplicationibus læcessita, nusquam adduci poterit, ut de agitata Auxiliorum Controversia sententiam diceret, ne pendens coram Apostolica Sede gravissima litis cognitionem injusta præripere. Equis porro credat, privatam Academiae Theologum attentasse, quod sibi universus Ordo nefas esse existimabat?

Ultimum Scriptum, concludit Molinianus Censor, *Epistola quædam est, Lemosio inscripta, Dominicanorum adversus Jesuitas Actoris publico.* Invisam lucubrationem forte fortuna Epistolam vocitat, quod eam nos ad Thomam de Lemos directam monuerimus: qua forte, Decani Casarugustani Censuram, Epistolam paulo antea nuncupavit, quod eam ad Cardinalem Baronium transmissam dixisset. Neutræ enim inscriptionem ab eo lectam, certa mihi fides est. Attamen, ut sum bona fide, do lubens, ultimam illam Joannis Carchagenæ, Salmanticensis quondam Acade-

miz Professoris, Censuram in modum Epistolæ scriptam esse, tamen singula minutatim, & accurate dispungat. Verum quid-ni quoque in modum Epistolæ Censuram adornet vir eruditus, de rebus, in quæstionem vocatis, sententiam dicere jussus? Nonne Censuræ, in Lessii novitates distictæ, Epistolæ formam dedit Academia Lovaniensis, eamque Jesuitis ipsis inscripsit? Nonne eundem scribendi modum tenuit Episcopus Segoviensis, secundam de Divinis Auxiliis Censuram expediens die 9. Novembris 1594. & supremo Hispaniarum Inquisitori, cujus jussu operi manum admovent, inscriptam voluit? Nihil itaque formæ ratio Censorio Judicio derogat.

Erit forte qui dicat, Carthagenam, ab uno Lemosio sententiam rogatum, scriptionem adornasse. Age, ita forte fuerit. Quæro tamen, qua juris prærogativa ignotum quorundam Bononiæ Magistrorum suffragia corradebat Gregorius de Valentia, Societatis adversus Prædicatores publicus Actor, nullo Præpositorum accedente mandato, eaque nobis, ut probatissima Molinianæ causæ documenta, obrudat Quæstionum eventuator, si Lemosio, Prædicatorum adversus Societatem Actor publico, nefas erat, Carthagena, viri eruditissimi, ipsique etiam Societati in aliis doctrinæ capitibus admodum propitii, suffragium efflagitare? *Que est ista tanta perversitas, velle nobis imponere sarcinas ignotas, cum vos portare nolitis amicorum?* Augustinus L. 3. contra Litteras Petilianæ, Cap. 2. Dicam nihilominus, Carthagenam, sin minus, cum primum sententiam per Litteras dixit, saltem secutus inde temporibus, Præpositorum jussu, atque mandato, suffragium dedisse, secundo edito Scripto, cui titulus erat: *Ad SS. D. N. Paulum V. Pontificem Maximum, Regule quædam proponuntur, apprime necessariæ, valdeque utiles, ad definiendam veritatem præsentis Controversiæ de efficacia Divine Gratie.* Quis etenim sibi fingat, Carthagenam, tunc temporis Romæ degentem, finiendam Controversiæ Regulas suapte sponte daturum Pontifici Maximo, nullo Sanctitatis suæ accepto mandato? Paulo Benjo, dirimendam Controversiæ rationes Clementi VIII. ingerenti ante annum alterum, infelicitus audacia cesserat, quam ut cuiquam injusto pruriret calamus. (3) Nemo non alieno periculo sapiebat.

CAPUT XXV.

Nova Prædicatores inter, ac Jesuitas dissidia, indicti silentii occasione, subornantur.

Quod, animis, motibusque componendis, utriusque parti silentium indixerat Sanctissimus Pontifex, majoris discordiæ, ac contentions occasio fuit. Nec multo post, anno videlicet 1595., Poeta dictum intalicer comprobatum est:

*Sanando fieri quædam majora videmus
Vulnera, que melius non restigisse fuit.*

Seu enim intra præscriptos indicti silentii fines contineri aliqui nolent, seu alio de argumento disputantes, in veritas Divinæ Gratiæ quæstiones necessariis consecutionibus laborant; seu tandem exasperati jam pridem animi, aliis de rebus absque adversæ partis offensione nullatenus agere possent; res eo disensionum, rixarumque devenere, ut Philippi II. Hispaniarum Regis (qui jam multa pro fovenda inter eos pace sanxerat superiori anno) ad extrema tentanda remedia religionem concitavit.

Re-

Rebus itaque cum R. P. Didaco Yepes, Confessario suo, mature collatis, R. P. Joannem de Villa-Franca, Prædicatorem Provincie Hispaniæ Moderatorem, & R. P. Garciam de Alarcon, Provincie Castellæ Societatis Jesu Visitatorem, Matrimonium acciri iussit; (1) quibus, cum primum limen attingere, adventoriam Epistolam scripsit in hæc verba.

VENERABILES, AC RELIGIOSI PATRES.

(2) Vobis ante dies aliquot, uti nostis, scribi jussi, atque Matrimonium advocari, ut nonnulla vobis aperirem, que ad Dei obsequium, & Ordinum vestrorum utilitatem plurimum attinent. Quid vero specialiter res esset, declarandum distuli, donec vos illuc venissete contigisset. Ne igitur nimia rerum agendarum procraftinatione stillaret tempus, convenietis Fratrem Didacum Yepes, Confessarium meum, ipsique in omnibus, que vobis nomine meo significaverit, integram præstabitis fidem: Si quidem ad bonum, pacemque inter utrumque Ordinem statendum unice conferent. Datum Aranjues die 15. Martii 1596.

EGO REX.

*De mandato Regis Domini mei.
HIERONYMUS HAZOL.*

Confessarium convenere Religiosi Patres die 19. quibus ille, posthabitis interlocutionibus, sequens Regiæ voluntatis Edictum significavit; quod sua illorumque subscriptione in obsequium, & obedientiam fidem muniri voluit.

(3) Considerans Philippus Rex, Dominus noster, gravia mala, & scandala, que ex mutuis Patrum Prædicatorum, ac Jesuitarum contentationibus oriuntur propter doctrinam, in Scholis ab utroque doceri, ac propugnari solitam, desiderantque omnes diffidit occasiones, que in Scholis, ac Pulpitis occurrere possent, amovere; cum jam experimento comprobavit, ea desideratam pacem minime promovisse, que anno elapso utriusque Ordinis Superioribus injunxerat, nova remedia tenenda judicavit, monens, ac jubens, sequentia statuta accurate servari.

1. Ut Ordinum Superiores Collegiis, & Universitatibus suis Lectores præstent, doctrinam S. Thomæ optime affectos, quique mutuas similitudines nec foveant, nec antea foverint. Si vero sic recens præfessi eas rursus excitent, amoveantur, atque etiam castigentur juxta præscriptas in Societate, aut Ordine Prædicatorum Constitutiones.

2. Ut, donec aliter sua Majestas disposuerit, ad Theses, & actus publicos utriusque Ordinis Professores mutuo non accedant: idque ipsis strictè præcipitur.

3. Ut in adibus, lectionibus, privatique colloquiis, nemo alterius partis doctrinam, ut erroneam, aut hæreticam fugillet, ejusque defensores notet. Immo potius, quavis data occasione, bene inter se dicant, ac fraternam charitatem observent; in aliis autem gravioris momenti ad suam Sanctitatem recurrant.

His auditis articulis, optant Prædicatorum, ac Jesuitarum Superiores, quartum adjici Edicto Regio, in hunc modum.

4. Ut utriusque Ordinis Superiores subditis suis sub pena excommunicationis injungant, ut quisquis apud se scripta habuerit, in quibus

Sery Tom. I.

nonnulla habeantur, ad privatorum alterutrius Religionis mores spectantia, ea intra dies octo a notitia mandati Superioris sui comburant, ne ad alienas manus pervenire possint; neque deinceps hujusmodi scripta edantur. Immo potius uniuscujusque Religionis Præpositi alterius Ordinis Prælatos admovent de defectibus sibi notis, aliisque omnibus, que pacem interturbare possent; quo eos castigare valeant: qui vero injuria affecti fuerint, satisfactionem acceptam habeant.

Præmissis statutis subscribere: F. DIDACUS YEPES, Regi a confessionibus: JOANNES DE VILLAFRANCA, Provincialis Hispaniæ Ordinis Prædicatorum: FRANCISCUS PEREDA, Socius: GARCIA DE ALARCON, Visitator Provincie Castellæ Societatis Jesu: JOANNES GARCIA, Socius. Nec multo post, directis transmissoribus Epistolis, suos ad illorum observantiam subditos invitavit: Societatis quidem Visitator die 15. Aprilis; Provincialis vero Prædicatorum die 28. Junii 1596.

Miranda hic obiter Gabrielis Henao S. J. summa scribendi, dicendique libertas, qui primum Regi Decreti articulum, proponente, ac rogante Societatis Visitatore, statutum referit; (4) quem tamen, antequam Conventus ille haberetur, Regia auctoritate cum secundo simul, ac tertio definitum fuisse, periculum est. Sed & illud ludicrum negis, quod propositam ab eo fraudulentam conditionem, uti prope in S. Thomæ doctrinam, ac pacem, voluntatis argumentum jactiter. Quintum enim pacis articulum ab eo propositum dicit: „Sequi, & profiteri doctrinam S. Thomæ, ut illam sequantur, ac profiterentur Thomistæ, cum libertate declarandi, & interpretandi illam, sicut illi, aut gratius quilibet auctor declarat, & interpretatur; non conquerendo, aut indignam rem dicendo, si quis audierit, eam aliter declarari, quam hic proprius Magister, cui quilibet insuevit, illam declarare solitus fuerit. Cum enim inter Thomistas graves, & doctos, antiquos, & recentiores manifeste cernaturagens divergens, immo contrarietas opinionum, quarum quilibet tamen auctorem S. Thomam faciunt, obscuriora ejus quædam loca in suam sententiam interpretando; quid est, quod cuiquam hodie veteret, eodem jure uti, præsertim si quando interpretationis suæ rationem ducat ex aliqua posteriori ætate S. Thomæ Concilii definitione, cui se quam maxime accommodare omnis semper Theologia debet; (5) cum in confesso sit, antiquas veritates novis oeconomicarum Synodorum definitionibus magis, magisque in dies evolvi, & conspicuas fieri solere? Quis illud, amabo, germanum S. Thomæ disciplinam dixerit, qui mentem ejus ex uniuscujusque prout libaverit, auctoris interpretatione venari velit? Quisve illum sincerum pacis actorem existimaverit, qui obliquo, subdoloque circuitu partis alterius sententiam, uti Concilio Tridentino repugnantem, in ipsis pacis conditionibus accusare molitur? Absit.

Et quidem non firma, diuturnave pax fuit, nec eo Catholici Regis Edicto extincta fere, sed consopita dissidia. Eam in universo Arragoniæ Regno temporarè sequenti anno commoverunt, qua facile Prædicatores demerit fuissent, nisi eos Superiores nati essent, qui rem totam virili pedore ad suprema Tribunalia detulere. Hujus ista occasio fuit. Cum soli Provincie Hispaniæ, seu

K 2

Ca

(1) Ex Relat. FF. Freg. in Archiv. Ord. (2) Ex Hispano Latino datur. (3) Ex Hispano Latino red. datur. (4) Scient. Med. Theol. def. prot. 2. n. 97. (5) Subdola clausula.

(1) Lib. 2. Cap. 1. (2) Vide Lib. 2. Cap. 26. (3) Lib. 3. Cap. 7.